

*Guglielmo Ruffo ridefinisce il pagamento
del censo di alcuni suoi villani*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo Ruffo ridefinisce il pagamento
del censo di alcuni suoi villani*

1346-05-22

In nomine Domini amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo quadragésimo sexto, mense maii, die vigesimo secundo mensis maii, quarte decime indictionis, apud Sinopolum. Regnante excellentissima domina, domina nostra regina Ioanna, Dei gratia inclita Hierusalem et Sicilie regina, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii, ac Pedemontis comitissa, regnorum suorum anno quarto, feliciter, amen.

Nos Franciscus Zarbus, iudex predicte terre Sinopolis, Nicolaus de notario Rogerio de Oppido, regius publicus per totum Iustitiariatum Calabrie notarius, et testes subscripti ad hoc vocati specialiter et rogati, presenti scripto publico notum facimus et testamur quod quaedam lis seu controversia vertebatur inter magnificum virum dominum Gulielmum Ruffum de Calabria, comitem Sinopolis, ex parte una, et Thomassium, Iacobum, Bartholomeum de eadem terra Sinopolis, nec non Leonardum Pathumi et Andream Pathumi, fratres de Sancta Christina, habitatores terre Sancti Nicolai, ex parte altera. Dicebatque dictus dominus comes quod praedictus Thomassius, Leonardus et Andreas tenebantur dicto domino comiti sueque curie anno quolibet, videlicet Thomassius tarenum unum et gallinas duas, et praedictus Leonardus et Andreas tarenos duos et dimidium per quemlibet, prout pater et predecessores eorum soliti erant anno quolibet genitori dicti domini comitis Sinopolis et Sancte Christine domini sueque curie. Dicti vero Thomassius nec non Leonardus et Andreas contrarium asserebant. Tandem, communi amicorum intercedente tractatu, dicti Thomassius nec non Leonardus et Andreas fratres agnoscentes assertionem

dicti domini comitis, de eorum bona gratuita et spontanea voluntate, cum omni eorum consilio et provisione muniti, promiserunt et obligaverunt se quod anno quolibet, tam ipsi quam eorum heredes masculi, sine molestia et contradictione qualibet, pro unoquoque ipsorum prestare seu prestari facere eidem domino comiti sueque curie ac heredibus et successoribus suis videlicet dictus Thomasius, in moneta usuali de argento, grana decem; dictus vero Leonardus et Andreas, per quemlibet ipsorum, annuos tarenos duos pro iuribus domus. Promittentes dictus Thomasius pro se, nec non Leonardus et Andreas pro parte eorum, per sollemnem et legitimam stipulationem, pro se et heredibus eorum, dicto domino comiti eiusque heredibus et successoribus, nullum in tempore contrafacere vel venire, litem vel controversiam eidem domino comiti, heredibus et successoribus eius, de predictis pecuniis per quemlibet annum dandis seu prestandis, prout inferius enarratur, non inferre, tam in iudiciis quam extra iudicia, sed pacifice et quiete per se et heredes eorum predictam pecuniam solvere. Quod fecerunt specialiter et voluntarie, obligaverunt se et heredes eorum ipsorum nomine debere componere reginali curie per quemlibet uncias auri quindecim, me predicto notario publico pro parte reginali curie sollemniter et legitime stipulante; qua poena soluta vel non soluta, in totum vel in partem, aut gratiose remissa, predicta omnia et singula in suo robore perseverent. Renunciantes proinde dicti Thomasius, Leonardus et Andreas in his omnibus exceptioni doli, mali, vis, metus, fraudis, agravis, condictioni sine causa, privilegio fori, beneficio restitutionis in integrum, auxilio senatus consulti et omnibus aliis generalibus iuribus tam canonicis quam

civilibus, scriptis et non scriptis, promulgatis et indultis ab homine vel a lege, quibus contra predicta venire possent. Et ad maiorem firmitatem omnium predictorum, sponte supradicti Thomasius, Leonardus et Andreas, iuramento ad sancta Dei Evangelia corporaliter tacto libro, promiserunt servare, adimplere ac attendere omnia et singula supra et infrascripta, nec ad ea seu ad aliquod eorum aliquatenus venire.

Unde, ad futuram memoriam omnium predictorum et domini comitis ac heredum suorum cautelam, rogatu dictorum Thomasii, Leonardi et Andree, factum est exinde presens publicum instrumentum, scriptum et subscriptum per manus mei predicti notarii publici, nostrum qui supra iudicis, notarii et testium subscriptorum signis et subscriptionibus roboratum. Actum anno, die, mense, loco et indictione praemissis. † Ego Franciscus Zarbus, qui supra, iudex terre Sinopolis, testor. † Ego Michael Tustus de Rhegio, testis, me subscripsi. † Ego Gulielmus de Gramatico, testis, me subscripsi. † Ego Nicolaus de notario Rogerio de Oppido, regius publicus per totum Iustitiariatum Calabrie notarius, predicta scripsi et me subscripsi.